Cracov. Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordin.
1640 mense Octobri. 2.

Aulinski Adami: Fasciculus Palladis.

~~Poezya 2743.~~

FASCICVLVS
PALLADIS,

PRENSANTIBVS JNTERIM XIII. JNGENVIS ADOLESCENTIBVS.

PRIMAM IN ARTIBVS HONESTISſimis, & Philoſophiâ lauream publicè,

IN

ALMO ATHENÆO IAGELLONIANO.

Decanatu Excellentiſſimi, ac Doctiſſimi D. M. STANISLAI OSĘDOWSKI, *Coll: Minoris, Præceptoris ſui Candidiſſimi.*

AB

ADAMO AVLINSKI eiuſdem Laureæ Concandidato in pignus amoris, ea quâ par eſt animi beneuolentia OBLATVS.

Anno Reſtauratæ Salutis Humanæ. MDC XL.

Menſe Octob. Hora

CRAC: Jn Officina STANISLAI BERTVTOWIC.

11

IN STEMMA

Jnclytæ Domus Dembiniorum.



Virgo per immensũ laudis, volat æthera pennis.
Vrsus & iſte tenet fulgida ſigna poli.
Felix (crede mihi) retinens duo ſtemmata laudis;
Nam Bellona tibi, & doctus Apollo fauent.

Perillustri ac Magnifico Domino,

D. FRANCISCO à DEMBIANY DEMBINSKI,

VEXILLIFERO TERRÆ CRAC:

Dño. & Mæcenati suo Amplissimo, gratitudinis ergo & debitæ, pietatis perennem felicitatem precatur.

OMNES *hoc à naturâ insitum habemus, Perillustris & Magnifice Domine Domine & Mæcenas Amplissime, vt eos à quibus beneficia accepimus, omni officij, & obsequij genere, colamus, ac veneremur. Nullum enim mortales vitium maius esse arbitrantur, quàm dum ingratitudo alicui obijcitur, si quidem ingráto homine, nil terrã deterius alere vnanimi omniũ decretum est consensu. Hanc teterrimi mali labem ne incurrerem, semper id defixum in mente habui, ne memoriam vestrorum singularium beneficiorum, â primis ferè cunabulis exhibitorum, perpetua deleat obliuio: nunc in rebus dubiis anxius, & velut quibusdam Cimeriis tenebris circumseptus, quò me verterem, multo tempore, cuinam hoc exiguum opellæ meæ munus dedicarem, dubitaui. Verum me tua beneficia, ad vestri nominis splendorem rectissimè deduxerunt, quibus in viã optimæ spei deductus, ita in proposito fui confirmatus, vt non alteri quàm tibi Jllustriß: & Magnifice D. candidũ hoc Candidatorum Laureatorũ iubar, & fasciculum, ex messe vberrimâ*

Academiæ nostræ, vouerem, consecrarem. Accipies Generose D. & Patrone Obseruandissime hoc leuidense munusculum, hilari & sereno (quod spero) vultu, accipies velut legionem ad legendum nomina filiorum Academiæ, quo tutius Musa mea supplex cùm Candidatis, & maturis iam Lauri nostræ fructibus, tuis in ædibus (vbi frequens est magnorum, tum & piorum virorum, concursus) sistere & canere poßit. Concede & da locum Apollini, vt securius, quàm non nemo apud ciuem suum loqui valeat, non in hanc tremebundus erumpat vocem: Hic est nouacula, seu gladius tonsorius verborum meorum. Non hìc concido animo, habet quippe inclyta Domus vestra, hoc proprium, ac præcipuum, quòd omni humanitate, ac benignitate, literatos, & optimarum artium cultores complectatur, habet hoc & semper habuit animus vester generosus, & benè eruditus, quòd conscius, quanto cum labore proficere detur mortalibus, parua placidè excipiat, errata humanitus illapsa flectat in partem benigniorem: quod cùm tibi natura, alijs nouerca, elargita sit, Viue in ACADEMIA *nobis, in Patriâ tuis, in Repub: Vniuersis omnes vnanimi voto precamur, comprecamur.*

Perillustris & M. D. V.

Cliens humillimus.

& ad

Omnia officiorum genera promptissimus.

ADAMVS AVLINSKI eiusd: Laureæ Candidatus.

MELOS ALMÆ ACADEMIÆ.

ALma Parens inopum, multis virtutibus aucta.
Gazis consilij, condecorata bonis.
O fons perpetuò circumuallate decoro,
Casta iuuenta bonas, vnde resorbet aquas.
Tu sola es celebris studiorum Academia Mater.
Sola in quâ ludos, monstrat Apollo suos.
Ante tuos mea Musa pedes profusa : salutat
Te Matrem : studijs sat celebrem grauibus.
Ecquis Lauriferam contra te pacis alumnam
Bellum concipiet : mente ciere velit.
Si sors cæca tuos claros non cernit honores
Tendere vel technas vult inimica tibi.
Vomeris ante fluens scindetur Vistula dente
Et Wauel in liquidas, totus abibit aquas
Ante prius celeres nascentur in æthere cerui
Et passim lapides roscida mella dabunt.
Quàm te Sarmaticum, tot sunt vbi lumina, sydus.
Illius extinguet, dimminuetq; furor.
O certè Dea tu nec tot Berecynthia Diuos
Misisti in lucem : quot tulit illa viros.

Eloquii Suauis multos enixa Dynaſtas.
Claros in ſtudijs, & pietate viros.
Tantos vna Duces genuiſti, candida Mater.
Tu ſtudii felix omnis es emporium.
Te Laudant inopes, quos de ſquallore leuare
Tu ſolita, in gremio quoſque fouere tuo.
Viue igitur felix, & ſortis neſcia duræ.
Lætos atq; dies, tempora amæna ferant.
Pacem reſtituat ſummi regnator olympi,
Et ferat optamus proſpera quæque tibi,

CVRSVS ATHLETARVM IN PVLVERE ACADEMICO DECVRRENTIVM..

FAVSTÆ ACCLAMATIONES,

V. D. GREGORIO PEKALSKI.

Accipe virtutis tibi quæ nunc præmia dantur
Hæc vt quæ meruit iam ſua recuperet.
Præcedis te alij meritò comitantur euntem
Eloquio præſtes, cum pietate alijs.
Non te pænituit duros ſubijſse labores
Aut operi inſuetas applicuiſſe manus.
I tua laus ſtabit, quò tellus vſquè manebit.
Nec niſi dum mundus concidet, ipſa cadet.

V. D. AN-

V. D. ANDREÆ BARANKOWIC.

Muſa tibi cordi eſt, porrò natura benigna.
Dotes inſignes obtulit ingenii
Olim te Phœbus blandis aſpexit ocellis.
Qui nunc pro meritis gaudia digna dedit.
Iam te Palladio totum nunc trade labori.
Qui fuerat durus, cedet & ipſe tibi.
Perge igitur Baranowi, gloria ſtyrpis, ad omnem
Sarmatiæ laudem nate, & ad omne decus.

V. D. JOANNI PRZYGOCKI.

Quid tibi nunc referam, Sophiæ qui culmen iniſti
Immenſum referens ſæpè laboris onus.
Si tulit Alcides poſt duros dona labores.
Si Dircæa DEVS templa canorus habet.
Et tu iam capias quos dat tibi Phæbus honores
Quæ cumulat Pallas præmia digna cape.

V. D. MATHÆO PESTRZYNSKI.

Huc ades ô virtutis amans, & laude perennis
Huc properes Phæbi, cara propago ſui
Omine felici, Stagyream ſume coronam.
Dignus cui compar contribuatur honor.
Talia magnanimis victoribus præmia quondam
Munera ſæpè dabat Martia, Roma ſuis.

V. D. GASPARO MIROWSKI.

Craciades Musæ linguis animisq; fauentes
Exultent subitò, lætitiâq; sonent.
Namq; alios inter cernunt te iurè sodales,
Cernunt Phæbicolam, deliciasq; suas.
Cum quibus ingeniò certas virtutis amore,
Virtutem sequitur digna corona satis.

V. D. BARTHOLOMÆO OSTRZESOVIENSI.

O soboles Phæbi, & Musarum care sodalis.
A teneris annis multus sudorq; laborq́;
Attulit ecce tibi fructum, laudemq; perennem.
Pulchro virtutum & doctrinæ flore nitescis.
Cæpisti pulchrè, vigeas felicibus ausis,
Ocia blanda caue, i virtutis tramite recto.

V. D. STANISLAO PRZEWORZSKI.

Præclaro iuueni depromit Phæbus honores,
Præclarus doctum concomitatur honor.
Prudens in rebus, solers, studioq; labore,
Moribus integris, sedulitate potens.
Paruus es, & magnis audes concredere velis,
Nil refert, magnum te facit ipse labor.
Hinc igitur Musas semper reuerenter habeto
Sic nunquam Aonidum te grauis ira premet.

V. D. JOANNI VNIKOWSKI.

Plaudite Pierides, Parnaſsi culmina ſcandit
VNIKOWSKI veſter, plaudite Pierides.
Plaudite Pierides, veſtros ſubit ille labores
Doctus Apollo fauet; plaudite Pierides
Nec mirum raris quòd te natura beauit.
Dotibus: hoc meruit, nam pietatis amor.
Pulchrius ingenium tibi, quàm fortuna volebat.
Nupſit: ſunt pauci dexteritate pares.

V. D. SIMONI PILARSKI.

Gaude Muſarum cultor mitiſsime, gaude.
Gaude. te meritus concomitatur honor.
Laurea ſerta tibi iuſtè, non aurea dantur,
Namq; tuo genio, laurus & ipſa viret.
Perge bonis auibus, te gloria manet euntem
Ad primos lauri, tendere perge gradus.

V. D. MARTINO NOWAKOWIC.

Nulli ſunt magnis ſeri conatibus anni,
Ingenio ecce tuo docta Minerua fauet.
Tenta quid valeas, tibi nil tentare nocebit
Quem Pallas decorat, deuius ire nequit

Constantes mores, sermonis gratia grata,
Atq; virilis inest mens, animusq; tibi.
Gaudeat en KORCIN Noua, te te præside tuta
Namq; tibi ingenium, & suada diserta tibi est.

V. D. MATHIÆ KOMESKI.

Præmia quanta ferat virtus, tua gloria testis,
Testis partus honos, tu tibi testis eris.
Est patiens labor, est rerum solertia nutrix
Sunt stimuli laudis, perge quid addubitas.
I bone, quò virtus tua te vocat, i pede fausto
Inuida nam nocuit, nil tibi pauperies.

V. D. FRANCISCO BAGINSKI.

Ordine sis tardus, si tardus in artibus instes
Tardus id ordo negat, quod mora tarda dabit.
Accipe depictum lauro, cum Baccare sertum
Nulla timet, Musis sæcula partus honos.
Perge alacer, magni conscende theatra laboris.
Accedat saltim velle: Disertus eris.

V. D. JOANNI CZECHOWIC.
Ex Omnibus Vni.

Ordine postremus, sed magno primus honore.
Est meritò tanti gloria clara chori,

Nam veluti miles finem remoueris in ipsum,
Sis prior ingenii viribus, arte simul.
Est facile ingenium mores & lingua soluta,
Siccine Apollo pater, fine coronat opus.

V. D. STANISLAO RAB. condiscipulo suo quondam charissimo ex primoribus secundo.

Quòminus in nostris ponaris amice libellis.
Ingenii efficitur, conditione tui.
Donec enim licuit, nec te mihi charior alter,
Nec tibi me tota iunctior Vrbe fuit
Nunc igitur meritò tibi dexter fulget Apollo,
Ornat te eloquij dotibus, & Sophiæ
Mel tibi in exhaustũ propenso in poctore pendet,
Mellea vox meritò, mellea verba fluunt.
Fortè tuam multi cupient effingere sortem.
Sed te qui posit vincere rarus erit.

V. D. DOMINICO CROMERO. ex primoribus primo.

Marcescunt flores, nequaquam laurus arescit
Hæc placet, hæc raras mentis adumbrat opes
Si caput obtenebret, fuscis fortuna procellis
Non sentit lauro mens benè tuta luem.

Nec tua marceſcet CROMER, ſed laude perenni,
Gloria floreſcet, ſemper ad omne decus.
Creſcat iam Patriæ virtus tua nuncia recti
Gloria magna Craco proſit, & aſtra petat.

Ad Excellentiſſimum Dominum M.

STANISLAVM OSEDOWSKI,
Coll. Min. Philoſophicæ facultatis Decanum ſtudiorum Fautorem.

Semper palma virens ad alta tendit,
Quamuis pondere ſaxeo grauetur,
Vel fluctus crepitent ſeueriores,
Aut venti quatiant eam feroces,
Sic virtus tua vertices ad altos,
Surgit fortius in truces procellas,
Non fruſtrà ſpatium nimis ſe in altum,
Felix exerit ingenî ſagacis
Lumen Magnificum, potens, venuſtum.
Quod ſplendore ſuo, ipſa vincit aſtra
Quare candidius, ſereniusque,
Cum tibi ingenium eſt micante ſole, es
Vltrà ſydereas vehendus ædes.

APO-

APOSTROPHE
AD CANDIDATOS.

PErgite magnanimi, felici pergite gressu
Florentis caput, en lauri redimite coronâ
Ne pereat virtus duro iam parta labore
Vester honor, semper nomen laudesq; manebunt,
Munus id hercle bonũ nitido quod pulchrius auro
Diuitijs vestris cedit nunc Attalus ipse (est
Viuite Magnanimi iuuenes vobis sua præmia dan-
Viuite felices, æternâ Viuite lauro. (tur.

VOTVM
B. IOANNI CANTIO OCELLO
Academiæ pro Candidatis.

SVscipe Diue Pater, natorum vota tuorum,
Et faustis cæptis, auxiliare piùs.
Altaq; fessorum suspiria suscipe quæso
Tutiùs vt magnis inuigilent studijs.

 Virtu-

Virtutem meritam patrio complectere corde
Sentiat vt famæ ſemper adeſſe ſuæ
O te ſupplicibus votis, nunc Sancte precantur.
Labantes animos clarificare velis
Omni te ſtudij Ductorem tempore ſpargent,
Auguſtumq; tuum nomen ad aſtra ferent.

IN DERISOREM.

Inuide non laceres (o[redacted]te) Zoile uerſus
Non ſolet ingenio ſumma nocere dies.

INSTEM-

IN STEMMA ALMÆ ACAD. CRACOVIEN.



Non trepides fraudes, hosteſq́; domiq́; foriſq́;
Lechia: præſidium quo tuearis habes,
Ecce præit binis fulgens Academia ſceptris,
Hinc ornare togâ te potis inde ſago.

Sub Auſpicijs felicibus

Magnifici ac Clariſsimi Domini,

MATTHIÆ WONIENSKI,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, in Alma
Acad : Crac : ſtudij Generalis vigi-
lantiſsimi
RECTORIS.

VRBIS CRACOVIENSIS SENA-
TORIS MERITISSIMI.

Hæc ò Candide Lector non tanquam mea, ſed
tanquã tua, perpetua foue benignitate, no-
minaq; (ceu prototypon virtutis me-
meritæ) V. poſtremorum 2dæ,
& VIII. 3tiæ Claſsis Iuuenũ,
animo complectere
paterno.